DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

PARTU DIFFICILI.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOH. JACOBI VITRIARII,

J. U. D. ET JURIS PUBLICI AC PRIVATI
PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu, & Nobiliſſimæ*
FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

ROBERTUS NESBITT, Anglo-Britannus.

Ad diem 25. Aprilis. horâ locôque ſolitis. 1721.



Lugduni Batavorum,
Ex Officina BOUTESTEINIANA,

AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE.

VIRO

D: D: RICHARDO MEAD, M. D.

Collegii Medicorum Lond:

&

Regiæ Societatis Socio.

T*ibi, VIR AMPLISSIME, diſputationem hanc inauguralem deſtinantem merito me deterruiſſet eruditionis tuæ ſplendor, quo in toto Orbe litterato emines, niſi tot me tibi devinxiſſes beneficiis, quæ in me nullo merito tibi cognitum contuliſti, ut, ſi hanc occaſionem publice declarandi, quantum*

tibi debeam, cupide non arriperem, juſtiſſime vererer, ne ob ingratum meum animum bonorum omnium in me indignationem atque odium excitarem. Auſus ergo ſum hoc in loco te compellare & ſumma cum veneratione haſce ſtudiorum primitias offerre tibi & conſecrare; quas etſi patrocinio tuo ſint indignæ, tanquam tamen grati animi benignitatiſque tuæ haud immemoris indicium ſerena fronte te accepturum confido; Tua enim ingenii ſuavitas, qua ita excellis, ut hominum omnium ordinum voluntates allicias, omnem de hoc dubitandi rationem excludit.

Hac occaſione uti liceret, ut ſingularem tuam non tantum in arte medica, ſed in aliis humanioribus ſtudiis, peritiam, & animi tui dotes egregias celebrarem, niſi hæc per totum orbem jam ſatis eſſent nota, aut ſi ego in arte oratoria adeo eſſem verſatus, ut ad munus hoc ſuſcipiendum aptus eſſem. Nihil igitur reſtat, niſi ut te

te exorem obſecremque nil magnum nihilque novum in hocce tractatu exſpectare; Nec me hoc impetraturum dubito, cum te latere non poſſit, illum tantum eſſe compoſitum, ut legibus Academicis ſatisfiat, quæ ſolummodo requirunt, ut quis ſe aliorum ſcripta legiſſe & intelligere oſtendat. Vale VIR AMPLISSIME Deumque ita te ſoſpitare, ut

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus interſis populo.

ex animo precatur & exoptat

Dabam Lugd. Bat.

Apr. 23. 1721.

Tibi omnibus officiis

devinctiſſimus,

ROBERTUS NESBITT.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PARTU DIFFICILI.

Caput Primum.

§. 1.

DE partu difficili, qui a Græcis dicitur Δυστοκία, quantum per autores nec non propriam experientiam edocti ſumus, breviter diſſerere proponimus.

§. 2.

Sed quoniam ut Sylvius in L. 3. cap. 7. dicit, *de partu læſo nemo recte judicabit, nemo bene docebit, qui partum naturalem prius exacte non conſideraverit*; pauca præmittere conſtituimus de tempore, quo partus humanus fieri poſſit, unde pendeat, & qua ratione peragatur.

§. 3.

§. 3.

Quod ad tempus igitur imprimis cognitu ſumme neceſſaria hic oritur quæſtio, quo nimirum menſe fœtus in lucem legitime prodire queat aut debeat; quod exacte definire certisve terminis circumſcribere arduum videtur. Nam licet ordinarium tempus pariendi natura ut plurimum deſtinaverit, interdum tamen magna ſuboritur differentia, adeo ut quasdam aliquot menſes citius, nonnullas tardius vivos ac vitales infantes edidiſſe ex autoritate Veterum, nec non quotidiana experientia certum ſit; ut Ariſtoteles in l. 7. Hiſt. Anim. loquens de partu humano dicit, Τῶν ζώων πόλλους ἔχειν χρόνους τῆς γενεσέως, τοῖς δὲ ἄλλοις ἕνα τὸν χρόνον τῆς τελειωσέως γίγνεσθαι. Et Plinius etiam in l. 7. Hiſt. Natur. inquit, *Cæteris animantibus ſtatum & pariendi & partus gerendi tempus eſt; homo toto anno & incerto gignitur ſpatio.*

§. 4.

Veteribus multis eſt opinio, eaque jam pro vera recepta, poſtquam imprægnata ſit mulier, hominem gigni, raro ſeptimo, nunquam octavo, ſæpiſſime nono menſe eumque eſſe hominem gignendi naturalem finem. Veruntamen non deſunt exempla illorum, qui tum citius tum ſerius legitime nati ſunt, & ætatem multorum annorum feliciter attigerunt, ut Avicenna l. 9. de nat. Anim. Spigelio de inc. temp. partus, & quam plurimis aliis refertur. Et quamvis Hippocrates aliter ſcripſerit, attamen ſi cauſa, unde partus pendeat, modo conſideretur, de qua infra, ſatis veriſimile videtur, in initio ſexti menſis partum vitalem fieri poſſe, quum mater adeo robuſta & ſana poſt conceptionem exſtiterit, ut laudabile fœtui alimentum, idque quantitate ſufficiente per quinque integros menſes ſuppeditaverit.

§. 5.

Ratio vero nulla excogitari poteſt, cur error iſte de o-

ctimeſtri partu, apud autores tamdiu invaluit, ut nulla ratione experientiave ſuffulti præjudicium a venerando Hippocrate receptum ſuſtineant; figmentis ſolummodo ac ſi ratiociniis inſtructi eſſent, aſſerere ſolent, menſe ſeptimo fœtum fruſtra tentando, ut egrediatur, tam fatigatum & elumbem evaſiſſe, ut, octavo menſe excluſum fato cedere neceſſe ſit. Nam non tantum experientia indubitata conſtat plures octimeſtres partus vitales ſæpe occurrere, ut Ariſtoteles *in l. 7. Hiſt. Anim.* Sylvius *de partu læſo.* Morriceau *inter obſervationes* ejus & alii teſtantur; ſed ratio ample docet, & evincit fœtum octimeſtrem eodem modo ac nonimeſtrem potiorique jure quam ſeptimeſtrem in lucem prodire, cum altero menſe provectior & ergo robuſtior ſit ſeptimeſtri. Experientia enim hodierna menſe ſeptimo fœtum exitum naturaliter ſine ſucceſſu petere non demonſtrat. Doctiſſimum vero tractatum de partu octimeſtri ſcripſit Celeberrimus C. Drelincurtius, quem vide.

§. VI.

Nullis fere negatum eſſe videtur fœtum in utero morari poſſe decem menſes completos, ut dicit Plautus in Comœdia Ciſtelaria *Act. 1. ſc. 3. l. 15. & 16.*

Illa quam compreſſerat
Decumo poſt menſe exacto hic peperit filium.

Nec non Virgilius in Ecloga 4. l. 61. idem fere cecinit

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

An vero in undecimum menſem & ultra partus protrahi poſſit, non inter Medicos modo, verum inter juriſconſultos magnopere controvertitur. Hadrianus imperator talem partum legitime edi poſſe decrevit. Contrarium autem pronunciavit Juſtinianus. Attamen Obſervationes teſtantur, nonnullas non tantum undecimo & duodecimo menſe peperiſſe, ut ab A. Gellio *in l. 3. c. 16.* ſcriptum eſt, *feminam bonis atque honeſtis moribus non ambigua pudicitia in undecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe*, & Homero repræſentante Neptunum

loquentem puellæ a ſe compreſſæ in *Od.* λ. l. 247.

> Χαῖρε γύναι φιλότητι περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
> Τέξεις ἀγλαὰ τέκν', ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ
> Ἀθανάτων.

Sed etiam tertio decimo refert Plinius in l. 7. Hiſt. Nat. imo Harveus de gener. cap. de partu & Sennertus de partu commemorant aliquas ſedecim menſes fœtum vivum geſſiſſe.

§. 7.

Fatendum eſt hujuſmodi exempla ex raro contingentibus eſſe, & ſubdolas fraudisque plenas mulieres ſæpiſſime reperiri, quæ lucro inhiantes, aut pœnarum aut infamiæ metu ſeſe gravidas fingunt: veruntamen talia fieri poſſe omnino concedendum eſt.

§. 8.

Tempus enim legitimum pariendi a maturitate fœtus, non a planetis, ut Aſtrologi olim finxerunt, pendet, quæ citius vel ſerius producitur ſecundum quantitatem & qualitatem menſtrui ſanguinis, qui natura deſtinatus eſt ad Embryonem nutriendum, ut Galenus de menſtruis obſervat ἐπιχυθέντα διὰ τὴν σύλληψιν τῷ ἐμβρύῳ τὴν τροφὴν παρέχει. Hujus ſanguinis fluxus à matre ad fœtum aperturis iſtis vaſculorum in fundo uteri, quibus ſanguis menſtruus fluere ſolet, & quæ clare fœminis tempore fluxus menſtrui mortuis apparent, vaſculis placentæ concretis peragitur.

§. 9.

Quia credibile eſt vaſcula prædicta in fundo uteri tempore graviditatis vaſculis placentæ concreta eſſe, cum membrana dicta *Chorion*, quæ totam placentam involvit, adeo compacta videtur, ut perforationem, quæ introgreſſu horum vaſculorum fieri dicitur, non aſſequatur oculus; Non tantum placentæ ſtructura, de qua vide Euſtachii Tab. 14. & Kerchringii Obſerv. 98. ſed fluxus ſanguinis, qui ſemper avulſione placentæ ab utero producitur, ſatis demonſtrant introitu vaſculorum membranam prædictam perforari. Nuperi

rime in hanc rem accuratius inquirendi mihi fuit occaſio. Muliere enim pariturâ ſubitanea morte correpta & operatione *Cæſarea* dicta ſine ſucceſſu peractâ, placentam, cum adhuc in ſtatu naturali eſſet, gradatim ab utero avulſi, quo non tantum ſanguinem ab utero fluere, ſed etiam ipſam membranam Chorion tanquam ſudorem ex placenta permeare obſervavi. Celeberrimus Cowper teſte D. Drake in Anthrop. nova l. 2. c. 7. Mercurio injecto per ramum Arteriæ uterinæ Vaccæ, a quo ramo una Cotyledon uteri ſanguinem accipiebat, implevit omnes iſtos umbilicalium venarum ramos, qui ab iſta Cotyledone exierunt.

§. 10.

Creator vero adorandus ſanguinem a matre ad fœtum per vaſcula minima impelli deſtinavit, ut impetus ejus minuatur & ut anguſtiâ vaſorum adeo conteratur & attenuetur, ut per vaſa fœtus circulare aptior reddatur.

§. 11.

Hinc patet, quibus cauſis partus anticipari vel protrahi poſſit: Quotieſcunque enim mater toto tempore geſtationis ita ſe habet, ut in Sect. 4. dixi, partus citius producitur, quam contra, ſi malo corporis habitu aut morbo aliquo acuto afflicta ſit, per quem nutrimentum tum quod ad quantitatem tum qualitatem ſit mutatum, atque inde ſegnius ad maturitatem fœtus deductus, tardius, quoque ad exitum properat. Quomodo autem exitus fœtus naturaliter peragi debet ac ſolet, pauca nunc monenda reſtant.

§. 12.

Mulier tempore maturitatis fœtus, dolores depreſſivos ſub umbilico & circa renes ſeu in regione lumbari, nonnunquam horrore, calore, & aliis ſymptomatibus ſatis notis concomitantibus, obſervat, qui magis magiſque creſcunt, & quibus parturiente ſuos conatus addente inſpiratum aërem retinendo diaphragma deprimitur & muſculorum abdominis ac lumborum contractione, ſanguis ex ſubſtantia uteri ad placentam intropellitur; tunc os

uteri reſiſtentiâ ſanguinis aliquantulum ablatâ, vi capitis infantis nec non manu obſtetricis ſtimulatum dilatari incipit. Membranæ quibus fœtus obvolvitur intumeſcere videntur, tandemque illas diſtentas fœtus rumpens, paulatim naturaliter capite prono ſubſequentibus humeris & reliquo corpore ſine magna moleſtia in lucem prodit, & poſtea vaſculis minimis, quibus placenta utero annexa fuit, nimia quantitate ſanguinis influentis ex ſubſtantia uteri ruptis, & placenta expulſa, uterus continuo contrahitur, donec liberatus ab omni ſanguine ſuperfluo in ſtatum naturalem reducatur.

Caput Secundum.

Hiſce præmiſſis de partu naturali, ad propoſitum, a quo paululum digreſſi ſumus, nunc revertamur, nimirum partum difficilem.

§. 1.

Partus difficilis eſt *Excluſio fœtus maturi ſumma cum moleſtia vitæque aut ipſius aut matris, aut utriuſque periculo conjuncta.*

§. 2.

Cauſis tum externis tum internis producitur. Externæ vero cauſæ aut ex rebus neceſſariis aut contingentibus pendent.

§. 3.

Rebus neceſſariis partum impedientibus annumerantur errores ſex rerum vulgo dictarum, non naturalium. Primo Aer qui inſpiratione ad pulmones deſcendens pro varia ejus conſtitutione varia effecta producit. Si nimis ſit frigidus & ſiccus, parturientes male afficit, quia totum corpus conſtringit, vel ſi nimis ſit calidus ſpiritus diſſipat, & vires matris fœtuſque exhaurit, inflammationem etiam febrilem facile

indu-

inducere poteſt præſertim in corpore jam cacochymo.

2. Cibus & potus quantitate nimia vel qualitate mala affectiones præternaturales producere continuo valent ut dicit Horatius 2 ſer. L. 2. lin. 75.

Dulcia ſe in bilem vertent ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita ——

3 Somnus & vigiliæ, loquente Hippocrate in Apho: 3. ſect. 2. *utraque modum excedentia malum.*

4 Motus nimius & intempeſtivus, non modo vires parturientis exhaurit, ſed poſitionem fœtus mutare poteſt; nec non nimia quiete malum oritur ut ad Cachexiam aliamve valetudinariam diſpoſitionem tendat.

5 Excreta etiam & retenta inordinata varios morbos præſtare poſſunt, quibus matri vires & fœtui alimentum deficiant.

Denique animi pathemata, ut triſtitia, ira, timor, pudor & ſimilia, ſi vel ſubitanea vel vehementiora fuerint, maſſam enim ſanguineam valde turbant motusque vagos & inordinatos in ſpiritibus animalibus concitant, unde partus felix ſæpe impeditur.

§. 4.

Ad res contingentes referuntur ictus, caſus, vulnera & ſimilia ex improviſo occurrentia; tum etiam Adſtantes, qui parturientem adjuvare debent, præcipue Obſtetrix, ſi in officio ſuo erravit, cum omnia ad artem ſuam ſpectantia recte non intelligat, adeo ut parturientes nimis cito ſingulis doloribus licet levioribus partum conari adhortetur, unde vires maternæ ita minuuntur, ut juſto tempore pariendi inſtante, partum adjuvare minime valeant; vel ſi fœtus verſionem pravam ignorans ſtimulantibus ejuſdem excluſionem accelerare conetur.

§. 5.

Cauſæ internæ vel matris vel fœtus culpâ producuntur.

§. 6.

Imprimis culpa matris, ſi ſit juvencula vel nimis annoſa & primipara, & inde, ut notat Ætius, in tet. 4. s. 4. c 22, *ob imperitiam corpus apte præparare aut gerere ignoret*; & ob ætatem imbecilla, *neceſſario* enim dicit Galenus *ad bonum & facilem partum robur mulieris requiri*. Item ſi dolorum adeo ſit impatiens, ut cum ingraveſcant in animi deliquium cadat vel convulſionibus corripiatur; qualem caſum Pariſiis vidi in miſera puella, quæ licet omnia in principio ad facilem partum ſpectaverint, ſtatim ac dolores cœperint convulſionibus fuit correpta, quarum quatuordecim paroxyſmos, ſingulis paroxyſmis acceſſione dolorum incipientibus, decem horarum ſpatio paſſa, animam efflavit: nec non ſi mater valde ſit obeſa, nam obeſitas vaginam & uterum ita ſæpe premit ut liberum fœtui tranſitum impediat.

§. 7.

Si etiam jamjam parturiens vitio aliquo pulmonum laboret, ita ut anhelitum ipſo partûs tempore cohibere nequeat, vel ſi morbo aliquo acuto afficiatur, ut de febre teſtatur Hippocrates in Aph. 55. ſect. 5. vel ſi præceſſerit ſeu adſit Hæmorrhagia ſive Hæmorrhoidum fluxus, Diarrhæa, Lipothymia, convulſiones aliuſve gravis affectus, unde vires quam maxime exhauriuntur, & ſpiritus animales minuuntur, ſine quibus felix expectari partus nequit.

§. 8.

Quando partes ipſæ naturales male ſe habent, partus impeditur: quemadmodum ſi in iſtis præceſſerit aut adſit Inflammatio, Eryſipelas, Abſceſſus, Ulcus, ſchirrhoſus vel ædematoſus tumor circa uteri orificium vel in ipſa vagina ejuſve labiis vel ſi ullo modo coaluerint, aut tempore partûs uteri vagina membrana aliqua claudatur, quale exemplum refert Celeberrimus Ruſch in Obſer. 22.

§. 9.

§. 9.

Nonnunquam oſſa coxendicis non ſatis a ſe invicem diſtant, atque os ſacrum prominens oſſa pubis proprius reſpicit, ita ut tranſitus fœtûs anguſtia pelvis difficilis reddatur.

§. 10.

Partus etiam difficultas interdum a ſitu obliquo uteri oritur, quem quidem diverſimode inclinare poſſe ratio & experientia evincit. Nam cum fundus uteri imprægnati mole multum augeatur, & extra pelvis anguſtiam altius elevetur, totuſque parte ſuperiore liber ſit ac ſolutus, ligamenta, quæ partem inferiorem ambiunt, laxari poterint, & uterus facile pondere ſuo ſecundum varios matris motus accidente etiam inteſtinorum compreſſione ſitum mutare poteſt.

§. 11.

Culpâ fœtûs quoque partus difficilis ſæpiſſime naſcitur; quando natura aut morbo aliquo præſente ſive prægreſſo ita debilis ſit ut partum adjuvare præ viribus exhauſtis minime valeat, vel ſi jam mortuus exiſtat.

§. 12.

Cum etiam corpus vel tantum caput aliquo modo grandius ſit ut vias nimis anguſtas tranſire nequeat; vel plures fœtus in utero inter ſe intricati exiſtentes, & ſimul exitum quærentes, ea ratione ſibi invicem egreſſum impediant, qualia exempla refert Schenkius Obſerv. l. 3. vel ſi monſtroſus ſit fœtus, qualem obſervavit Tulpius l. 3. 37.

§. 13.

Item ſi perverſe in lucem prodire conetur, ut pede uno vel manu vel natibus duplicatis, vel latere alterutro obliquo, vel ſi faciem aut ventrem primum exhibeat, & chorda umbilicalis prævia exeat, vel aliquo modo multum contorqueatur de quo vide Peu des accouch & Ruſch. obſerv. 11.

§. 14.

Denique partus aliquantulum membranis fœtum obvolventibus impeditur, ſi ſint vel tenuiores ut nimis cito diſrum-

pan-

pantur, unde aquis effuſis fœtus moriatur, niſi citius poſtea excludatur; vel craſſiores adeo ut a fœtu diſrumpi nequeant.

Caput Tertium.

§. 1.

Diagnoſis ad partum difficilem pertinens vel reſpicit ſubjectum huic morbo magis aut minus idoneum, vel ipſum morbum præſentem, vel cauſas, quibus producitur.

§. 2.

Subjecta ad hunc morbum magis diſpoſita ſunt imprimis mulieres, quæ difficulter parere ſolent: ipſis enim partum difficilem futurum cognoſci poteſt, ſi cauſæ, qnibus antea producta fuerit pariendi difficultas, modo conſiderentur. Mulieres etiam, quæ naturâ ſunt debiles aut morbo aliquo labefactatæ cum moleſtia parturiunt.

§. 3.

Signa morbi præſentis patent a tempore, quod pariendo conſumitur, veluti ſi per duo, tres, quatuorve dies vel plures mater in partu teneatur; cum revera partus naturalis intra ſpatium viginti & quatuor horarum perfici debeat: A doloribus etiam partum concomitantibus ſive languidiores ſint & longos poſt paroxyſmos revertantur, ſive, quamvis nonnunquam multiplicentur & graviores fiant, magis tamen verſus lumbos, quam pudenda terminentur; unde non raro obſtetrices præſertim juniores decipiuntur.

§. 4.

Cauſarum autem ſigna ex ipſarum parturientium relatu & ipſa autopſia majori ex parte dignoſcuntur. Sed quæ in §. 6. cap.

cap. 2. referuntur, ex conſtitutione matris deprehenduntur' Morbi uteri propriis indiciis noti ſunt.

§. 5.

Situs vero uteri obliquatus exploratione & tactu obſtetricis inveniri debet. Nam quemadmodum uteri recte ſiti orificium profundius in pelvim protenſum digitis undequaque tangitur, ita prave ſiti os præ obliquitate vel omnino tangi nequit, cum margini pelvis applicetur, vel tantum quod ad ſemicirculum inferiorem, nequaquam quod ad integram rotunditatem tactu ſe præbet percipiendum. Situs etiam fœtus naturalis aut pravus eodem modo percipi poteſt. Debilitas vero fœtus ex debili tardoque motu patet.

§. 6.

Fœtum autem mortuum eſſe cognoſcitur, ſi motus illius diu ceſſaverit: vel ſi mater ex uno in alterum latus ſe convertens pondus percipiat inſtar lapidis ex una parte in oppoſitam devolventis; vel ſi labia & facies matris nulla alia cauſa patente, pallorem contrahant, rigorque & frigus corripiant extima corporis confinia; vel ſi animi deliquia, ſudores frigidi, mammæ detumeſcentes matri adſint, vel anhelitus fœtidus, aqua & ſanies ex utero emanent, vel denique ſi poſt ſecundinæ excluſionem aut aquarum fluxum, diu intus maneat fœtus; etenim impoſſibile fere eſt iſtis excluſis fœtum multis horis ſuperſtitem fore. Notandum tamen eſt, quod pro certo non eſt concludendum fœtum mortuum eſſe, ſi unum ex hiſce ſignis occurrat, ſed cum plura ſeſe manifeſtent.

§. 7.

Fœtum nimis magnum eſſe vel plures in utero contineri ex magnitudine ventris præſupponitur; nullo certo ſigno dignoſcitur.

Caput Quartum.

§. 1.

NUnc de prognoſi ad tractandum, qua futura ex præſentibus prænoſcantur, nos accingamus; cujus peritia nihil magis certe honorem atque Medici fidem ſpectare videtur. Si enim hac ratione morborum durationem, omnemque eventum Medicus prædicere poterit, ſive boni ſive mali ſit præſagium, laus illi comparatur & ſemper vitatur calumnia.

§. 2.

Si partus difficultas, tempore adſtante, viribus matris vel ætate vel morbo aliquo graviori exhauſtis oriatur, tum partu per aliquot dies durante fœtus, ut notat Avicenna, ſæpe moritur & vita matris magnopere periclitatur.

§. 3.

Symptomata graviora ut reſpiratio difficilis, extremorum ſummum frigus, deliria, morbi ſoporiferi vel convulſiones, haud fallaces mortis appropinquantis ſunt prodromi.

§. 4.

Si in vagina aut circa orificium uteri inflammatio, tumor, ſcirrhus aut ſimilia, tempore partus jam præſente inveniantur, mater in periculo ſummo verſatur; ſi vero in utero Eryſipelas fiat, ſecundum Hippocratem in Aphoris: 43. Sect. 5. mors cito ſequetur.

§. 5.

Cum vagina ſit nimis anguſta, vel pelvis naturaliter parva, vel fœtus ſolito major, una nonnunquam continua rima ſeu ſciſſura ab vulva ad anum, ut notat Albertus magnus de ſecretis mulierum, fit, quod valde periculoſum eſt & mulierem,

rem, ſi evadat, in poſterum ſterilem reddit.

§. 6.

Si fœtus prava verſione exitum petat, periculum tum fœtui imminere notat Hippocrates in Lib. de natura pueri.

§. 7.

Funiculi umbilicalis procidentia fœtui mortem ſæpe infert, nec non ejuſdem contorſiones, ut obſervavit Celeberrimus Ruſch in Obſer. 11.

§. 8.

Fœtus cum mortuus ſit & non mature excluſus, febres, Lipothymias, convulſiones & alia dira effecta, tandemque mortem producit.

§. 9.

Si purgationes mulieri in utero gerenti prodeant, fœtum ſanum eſſe impoſſibile affirmat Hippocrates in Aphor. 60. Sect. 5.

§. 10.

Si parturientes præſertim debiliores conatibus nimis validis partum perficere petant, timendum eſt, ne peritonæum prope umbilicum vel inguina dilatent, quo diſtento hernia facile exoriri poteſt; vaſcula etiam ſanguinea ſecundum Mercurialem de morbis Mulieb. l. 2. c. 3. nonnunquam eodem modo franguntur, unde in ſanguinis ſputum, tuſſim & Phthiſin incurrunt.

§. 11.

Denique ſi ægrè parturienti ſternutatio ſuperveniat, bonum indicare inquit Hippocrates in Aphor. 35. Sect. 5. quoniam conatum validum licet brevem efficit; ſubito enim diaphragma ad inferiora propellitur & muſculorum abdominis conſtrictio magnopere ad fœtus excluſionem tendit.

Caput Quintum.

§. 1.

JAm ad metam Medicinæ ultimam ſcilicet curationem pervenimus, quæ pro variis cauſis morbi varia inſtitui debet, ut eam in hoc morbo, quæ non tantum a medici conſilio, ſed etiam operatione manuali obſtetricis ſæpe pendet, diſtincte tractando limites hujuſmodi diſſertationis longe transgrederer, quantum tamen cum deſtinata noſtra brevitate conſtabit, paucis percurrere propoſuimus.

§. 2.

Imprimis itaque Medicus ſollicite attendere debet ad regimen rerum non naturalium, quoniam error in illis ad magnas in corpore mutationes producendas continuo aptus eſt. Qualitates ergo Aëris exceſſu peccantes temperandæ ſunt; ſi frigidus ſit, ope ignis facile mutatur; ſi nimis calidus, emendari poteſt effuſione per pavimentum aquæ cum ſale aut aceto mixtæ, vel exſpiratu halituum aquaſorum ex plantis frigidis aquæ immiſſis, ut ſunt ſalix, populus, Roſa, ſambucus & ſimilia; Cura etiam adhibenda eſt, ut alimenta talia ſint, quæ facile coquuntur & corpus bene nutriunt, & ſi ita ſe habeant nil refert qualiacunque ſint, ut cecinit Philoſophus & Poëta.

Nec multum refert, quo victu corpus alatur,
Dummodo quod capias concoctum didere poſſis
Artubus, & ſtomachi humectum ſervare tenorem.

Quies item & motus corporis irregulares & immodici minuendi ſunt, eorumque mediocritas ſervanda.

Vi-

Vigiliæ nimiæ curantur diluentibus, blandis lenientibus, anodynis & opiatis. Excretæ inordinatæ adſtringentibus cohibentur. Retenta vero intra corpus excrementa laxantibus & ſtimulantibus ſed mitioribus expelli debent. Affectus denique animi, contrariis affectibus, varietate objectorum, anodynis & opiatis ſedantur.

§. 3.

Deinde cauſæ omnes aliæ partum retardantes auferendæ ſunt, ſi fieri poſſit; obeſitas enim nimia, mala vaginæ conformatio, magnitudo, aut multitudo fœtus, aut idem mortuus auferri non poſſunt.

§. 4.

Quoties vero parturientes valde ſunt debiles ratione vitalium viriumve animalium, ideoque ad pariendum impotentes, ſive ipſarum vires morbo aliquo prægreſſo fuerint exhauſtæ, ſive morbo præſente ſint oppreſſæ, toties opera eſt danda, ut cauſa oppreſſionis removeatur & vires exhauſtæ reficiantur.

§. 5.

Si igitur vires parturientis oppreſſæ ſint vomitu, diarrhæa, dolore colico, febre, aliove gravi morbo, remedia blandiora, & quidem talia, quæ fœtui nocere non poſſunt pro ratione affectionis uſurpanda ſunt: & deinde exhauſtæ vires ope aromaticorum ſpirituoſorum & Cardiacorum refici poſſunt. Cavendum tamen eſt ſedulo a medicamentis vehementioribus & præcipue talibus, quæ magnam ſubitamque mutationem in corpore afferunt quia plerumque gravidis & parturientibus valde noxia ſunt: Aromatica ergo & ſpirituoſa temperanda ſunt addendo ipſis aquea & ſubacida: ab his enim diluuntur & vires eorum minuuntur.

§. 6.

Convulſiones autem vel deliria ſi tempore partus adſtante eveniant, ſtatim ac fieri poteſt, fœtus manu obſtetricis in uterum immiſſa extrahendus eſt, ut optime admonet Morriceau, unde ſæpe mater & fœtus a ſummo mortis periculo liberantur. Vide Morriceau obſervat.

§. 7.

Cum partus rigiditate fibrarum orificii uteri ſeu vaginæ retardatur, partes foveri debent balneo aut vapore ex decoctis herbis emollientibus aſſurgente, quales ſunt Rad. Alth. Lil. Fol. Malvæ, Viol. Sem. Fænugræc. Lini. Flor. Chamom. laxari etiam poſſunt oleo Lilior. Amygd. dulc. Sem. Lini & ſimilibus, quibus obſtetrix partes frequenter inungat.

§. 8.

Si autem coalitione vel membrana aliqua tranſitus fœtus impediatur, lanceola ſic diſſecetur, ut naturale foramen maneat, & peſſario immiſſo, ſi requiratur, cicatrice obducatur.

§. 9.

Cum uteri fundus ſitu naturali non gaudeat, ſed verſus anteriora nimis propendeat, atque ea ratione, os ejus altius elevatum, oſſi ſacro ductu obliquo incumbit, tum obſtetrice conandum eſt os uteri ductu directo vaginæ dirigere: quod ut fiat, femina in ſitu ſupino locata, & ore uteri jam ſatis aperto, in id alterius manus digiti, altera manu exterius ventri applicata, inſinuentur, & gradatim os uteri antrorſum trahatur, ſimulque manus exterior leviter premat, donec uterus in ſitum naturalem ſatis mutetur. Sin contrario ſitu uterus obliquatus ſpinæ dorſi incumbat, & os ejus pubis oſſibus obvertatur, eodem modo ac in precedente caſu parturiente locata, manu obſtetricis in utero immiſſa, os ejus verſus inteſtinum rectum ducatur, altera vero manu exterius parum ſupra oſſa pubis oppoſita, caput infantis retrorſum ſenſim deprimatur.

Pari fere modo res aggredienda eſt, ſi lateraliter uterus obliquatus orificio coxendicis innitatur.

§. 10.

Hactenus propter culpam matris partus deficientis curationem propoſuimus, ſequitur, ut ſimiliter, quo modo fœtus culpa partus deficiens curari debeat, breviter explicemus.

§. 11.

§. 11.

Si igitur fœtus nimis ſit debilis, Aromaticis & ſpirituoſis matri per intervalla illum roborare conandum eſt.

§. 12.

Cum autem ſitus infantis partum retardet, in talem redigendus eſt, quo vel per caput vel per pedes fœtus educi poſſit. Quod efficitur poſitu matris debito & mutatione ſitus infantis manu Obſtetricis.

§. 13.

Si a geminis difficultas partus oriatur, labor obſtetrici multum augetur, quia nonnunquam manibus vel pedibus adeo arcte fœtus ſe invicem amplectuntur, ut difficillime extricentur. Imprimis igitur omni ſtudio intricata membra expedire tentandum eſt, deinde eo facto procedendum erit eodem modo ac ſi unicus infans foret excludendus.

§. 14.

Simul ac fœtus mortuus cognoſcitur, ſine mora, metu gangrænæ, ſyncopes, mortisque maternæ, pedibus vel inſtrumento extrahendus eſt; rariſſime enim per vires maternas fœtus poſt mortem expellitur, quamvis potentiſſima medicamenta expellentia matri exhibeantur.

§. 15.

Cum matre jamjam mortua fœtus adhuc vivere credatur, operatio Cæſarea, ſtatim eſt inſtituenda quam non ſine ſucceſſu peractam vidi. An vero ante matris mortem fieri debet hæc operatio, magnopere controvertitur; & quamvis nonnulli autores illam nonnunquam poſſe ſuccedere perſuadere conentur, attamen tanti periculi & terroris plena eſt, ut nunquam ulli medico, qui famæ ſuæ conſulere voluerit, tentanda ſit.

FINIS.